

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0325

0323

0329

0319

0334

0314


0374

0274

0424

0224

0824



recuperare deberent et injurias et mortem sancti Ludovici regis vindicare.

Porro actor illius tumultus erat frater Jacobus apostata, monachus ordinis Cisterciensis, qui finxit sibi stellam ad se inclinatam dixisse, illo modo liberandam esse terram sanctam. In tantum autem numerum concurrerunt, ut ultra XX millia hominum simplicium (288 A) essent, nec aliquem religiosum aut clericum, aut sacerdotem, aut doctum inter se sustinebant. Unde ad tantam praesumptionem devenerunt, ut magistri eorum more episcoporum aquam benedicerent et matrimonia jungerent et praedicarent suis. Cum autem ad portus maris venissent, in nihilum versum est negotium eorum et vacui redierunt. Multi autem eorum, qui prius fuerunt simplices pastores, facti sunt raptores, fures et latrones, et multi de eis diversis in locis propter furta facta mortis suppliciis sunt perempti, et ita conventiculum hoc cessavit.

#### De litigijs principum christianorum pro titulo regni Jerusalem.

Post haec tempora cessatum fuit a transitu maris ita, quod occidentales populi non amplius congregabantur contra orientales ita communiter, mansit tamen litigium inter principes de titulo regni Jerosolymitani ita, quod hodie titulus ille apud plures reges manet, sicut apud regem Angliae, sicut superius patuit; et reges Franciae aliquando se reges Jerusalem jactant esse; similiter rex Cypri; et rex Siciliae; et reges Hispaniorum; et duces Suevorum hunc titulum suum esse justo jure affirmabant, dum adhuc essent; nam ut ex dictis patet, Fridericus dux Suevorum, imperator factus hujus nominis secundus, uxorem habuit Jolam, filiam Johannis regis Jerusalem, et cum hac ipsemet transfretavit et in Jerusalem rex Jerosolymorum declaratus et coronatus fuit. Quapropter Manfredus, filius ejus et successor in regno Siciliae, se regem Siciliae et Jerusalem gerebat, et consequenter alii illius generationis Suevorum duces.

Porro anno Domini 1264., cum dictus Manfredus et Corradinus, Suevi, rem ecclesiae perturbarent, Papa Clemens

Ende

Anfang